67

in haerentibus se formis quae caelitus fulgent sed illo senario perfectionis nume
ro creata simul omnia cum factus est dies utrum ergo sic & homo ista iam
specie qua in sua natura uiuit & agit siue bonum siue malum. an & ipse in
occulto sicut faenum agri antequam exortum est ut eis post accesso tem
poris exoriri quod de puluere factum est. Accipiamus ergo eum ipso sex
to die in hac perspecta uisibilique forma de limo finctum sed tunc non com
memoratum quod nunc recapitulando insinuatur & uideamus utrum
nobiscum ipsa scriptura concordet. Sic certe scriptum est cum adhuc
dies sexti opera narrarentur. & dixit deus faciamus hominem ad imagi
nem & similitudinem nostram. & habeat potestatem piscium maris
& uolatilium caeli & omnium pecorum & omnis terrae & omnium
repentium quae repunt super terram. & fecit deus hominem ad imaginem dei
fecit eum masculum & feminam fecit eos & benedixit eos deus dicens. Cres
cite & multiplicamini & replete terram & dominamini eius & habete po
testatem piscium maris & uolatilium caeli & omnium pecorum & omnis
terrae & omnium reptilium repentium super terram. Iam ergo de limo for
matus erat & illi iam soporato mulier ex latere facta erat sed hoc commo
ratum non erat quod nunc recapitulando commemoratum est. Neque
enim sexto die factus est masculus & accesso temporis postea facta
faemina. sed fecit eum inquid masculum & faeminam fecit eos & bene
dixit eos. quomodo ergo iam homine in paradiso constituto mulier ei
facta est ante hoc praetermissum scriptura recolit. Nam sexto illo die
& iam paradisus factus est & ibi homo conlocatus & soporatus est ut
eua formaretur. & ea formata euigilauit ei que nomen inposuit. sed
haec nisi per temporales moras fieri non possent. Non itaque ita facta sunt
sicut creata sunt omnia simul quanta libet enim homo cogitet facilitate
qua deus & iam haec simul cum ceteris fecit uerba certe hominis nouimus nisi
per temporum morulas emitti uoce non posse. cum ergo uerba hominis
audimus uel cum animantibus uel cum mulieri nomen inposuit uel cum
secutus & iam dixit. propter hoc relinquet homo patrem suum & ma

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc141/0141